



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,  
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola  
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas  
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

**Melanchthon, Philipp**

**1559**

**VD16 M 3567**

De emendatis scholis restituendis, sine quibus in ecclesia pura Euangelij  
doctrina co[n]seruari no[n] potest.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34734**

## DE RESTITVENDIS SCHOLIS

Oratio habita ab Alexandro Alesio Scoto,  
in celebri Academia Francofordiana  
ad Oderam. 1540.



**V**T Paulus inquit: incertis uis  
gamur sedibus: ita ecclesia ue  
Ecclesia exulans  
ra Christi, exulat in hoc mū-  
do, nusquam certam ac dura-  
bilem sedē habet: diabolus e-  
nim odio filij Dei incēdit u-

biq; impios ad eam pellendam & dissipandam. Ita  
summos illos heroes, Abraham, Iacob, Moy-  
sen, hostes fugere, querere alia hospitia, legi-  
tis. Dauidem & Heliam uix remote solitudi-  
nes, & specus in saxis aduersus tyrannos texe-  
runt. Apostoli toto orbe terrarum uagantur. ipse  
etiam filius Dei ueniens in hunc mundum ex cœ-  
lesti patria, exulare se fatetur, cum ait: Filius ho-  
minis non habet ubi caput reclinet. Quare etiam  
si de exulibus grauiter suspicari homines solent,  
tamen Christianos communem Ecclesie fortu-  
nam cogitare decet, nec exilium inter probra du-  
cere, si causa sit honesta. Fateor me iam annos Alesius coe-  
cto abesse à patria, uere diuina ope crudelia-  
tati cuiusdam sauisimi Tyranni ereptum, qui  
me, cum quaedam errata doctrine Ecclesiasticæ  
manifesta

manifesta taxassem, iam uinctum adseruabat, & dirā necem mihi minabatur. Et si autē postulatīs periculis conflictatus sum, tamen res ipsa ostendit, Deum uerē mihi adfuisse duce[m] in illis longis peregrinationibus, meq; clementer seruasse, ut spero, ad aliquam Ecclesie utilitatem.

Narratio de  
suo exilio,

Primum ex patria discedens, ueni in Acedemiam Saxoniam, eo tempore, quo omnes articuli doctrinae diligentissime disputabantur, ubi consuetudine eruditorum excitatus, multo maiore cura conferre dogmata coepi. Postea Britanniam adii, ubi & docui aliquandiu in Academia, & rursum cum ijs qui excellunt eruditione, de doctrina Christiana collocutus sum accuratē. Est quē perspicua mea mens in ea insula praestantibus uiris, Episcopo Cantuariensi, Latimero, et alijs. Cumq; iam defessus tot peregrinationibus, quasi in portum uenisssem, manereq; ibi decreuisssem, ecce rursus prodeunt atrocissima edicta contra doctrinam Euangelij. Itaq; cum aut subeunda esset impiorum crudelitas, aut cedendum, secutus sum cōsiliū multorum honorū uirorum, qui et mihi et alijs p̄p̄t, qui palam dissentiebant ab illis decretis sanguine scriptis, hortatores erant, ut discederemus. Sed diu igitur in Germaniā ad eas Ecclesias, cum quibus sentire me profiteor, quae mihi hospitium hoc

semestri pergratum præbuerunt. Cumque eximia liberalitate Ducis Saxonie adiutus sum, tum hoc accessit, quod iterum de doctrina licuit cum hominibus pijs & peritis conferre. Deinde mihi illustrissimus Princeps Marchio elector locum in Academia uestra clementer tribuit, ac munus cõmendauit re ipsa amplissimum, uidelicet, doctrinae Ecclesiasticae explanationem. Hæc eò commemorauit, ut sicut me ipsum series mearum ærumnarum & exitus monent, ut diuinitus me seruatum esse ad aliquam Ecclesie utilitatem existimem, ita & uos bene & amanter de hospite sentiatis, nec me propter exilium aspernemini. Laudatur uetus Germania propter singularem fidem & humanitatem, qua excipere & tegere hospites solita est. Et uos arbitror adhuc retinere plurimam præsentis & antiquæ uirtutis, ad quam accedere etiam pietas est.

Precipue autem hoc officium Christus flagitat, ut eos qui uagantur uel docendi, uel discendi Euangelij causa, cæteri amanter complectantur, ac promittit mercedem inquit: Amen dico uobis, si quis dederit uel aquæ potum uni ex minimis propter doctrinam, mercedem accipiet. Quare & uobis spero Deum benefacturum esse, si nos complexi fueritis, qui qualescunq; sumus, tamen.

tamen ex illo cœtu sumus, de quo Christus loquitur, Euangelium enim circumferimus, et si fuerit me uerè esse omnium, qui docent minimum.

Sed cum ordinis ac functionis dignitate Christus magnifaciat, erit uestra pietatis, me non grauatim audire. Maiores uestri reuerenter exceperunt multos ex insula Scotorum egressos, Gallum, Bonifacium, & alios, qui in Germaniam intulerunt Euangelium, horum uos honesta exemplum imitari decet, præsertim cum his miseris temporibus doctrinam Christianam ubiq; terrarum horribili amentia Pontifices ac Reges delere cœntur. In tanto publico periculo credite uos Deo gratissimum officium facere, quod Euangelium diffores benignè excipitis, tuemini et auditis. Hec de me ipso præfatus sum. Nunc in genere de scholis et de professione mea dicam. Nam si quis cogitabit, quantum referat, hoc præsertim temporis, restitui emendatas scholas, hunc mihi quoq; et ceteris mei ordinis hominibus equiorè fore spero. Nemo est tam impudens ac sine fronte, qui negaret esse multos non dissimulandos errores à Pontificibus et Monachis in Ecclesia inuectos esse. Quam multi boni et docti uiri ante aliquot secula deperauerunt missarum nundinationem, idolomaniam in inuocatione sanctorum, & Reprehendunt ipsi uerè

Emendatio  
Scholarum.

terres, Ambrosius, & Augustinus errores satis san-  
 ctionum, & renouant doctrinam de poenitentia,  
 & de fide. Quam multi deplorauerunt libidines  
 sacrificulorum? Episcopi quid agunt dignum suo  
 munere? Hec cum iam iterum reprehendi Deus  
 uoluerit, ac instaurare Ecclesiam, ne prorsus om-  
 nes homines pereant, uidetis quantum certas-  
 men exortum sit: Epicurei, Pontifices & Monachi,  
 uentri metuentes, adeo fremunt se reprehendi,  
 ut deleri nomen Christi, & uniuersam doctrinam  
 Euangelij, & omnes Ecclesias in uastitatem  
 religii cupiant. Res ipsa loquitur eos sic affectos:  
 Pergunt enim defendere suos errores, moliri bella  
 ciuilia, cumulant flagitia, negligunt Ecclesias,  
 & scholas.

Tali tempore necesse est bonos & pios Princeps  
 providere, ne funditus intereat religio Chri-  
 stiana: Quare ut Ecclesias restituere, ita & scho-  
 las instaurare debent. Nunquam enim uera Eccle-  
 sia sine scholis aliquibus fuit, ac ne potest quidem  
 diu conseruari doctrina, nisi scholastici coetus ad-  
 iungantur ad Ecclesias. Haud dubie primis patri-  
 bus, Adæ, Nohe, Sem, ideò prorogata est uita tot  
 seculis, ut auditores haberent testes ægyptiis  
 de prima origine generis humani, deq; initio do-  
 ctinæ. Postea familia Abrahæ, Isaac, Iacob,  
 l ij prorsus

Nulla uera Ec-  
 clesia sine scho-  
 lis.

Scholarum fun-  
datio,

prorsus scholæ fuerunt. Deinde cùm lex Moysi  
data est, iam clarum mandatum de scholis  
datum est. Constitutum est enim, ut ad tabernacu-  
lum semper essent cœtus docentium & discen-  
tum, Ita Samuel traditus est in disciplinam illius  
legio, perinde ac si esset in academiâ bene con-  
stitutam missus. Postea cùm negligenter studia sacer-  
dotes, Deus excitauit Prophetas, qui magnas tur-  
tas discipulorum secum traxerunt, ut tantum  
agmen erat auditorum Elisei, ut cùm antea in  
richo habitassent, propter eius loci angustiam  
quererent ad Iordanem aliam sedem. Nec putauit  
ociosos greges Monachorum fuisse, sed illos sum-  
mos uiros audiebant de promissionibus disseren-  
tes, de regno Christi, de peccato, de lege, de gra-  
tia, de iustitia, de ueris cultibus Dei, de maximis  
mutationibus orbis terrarum.

Testimonia,

Extant adhuc uetera quedam dicta, quæ ab il-  
lis scholis quasi per manus accepta fuerunt, ut  
dictum de sex millibus annorũ mundi, id habet titu-  
lum domus Elie, hoc est, scholæ Elie. Meminisse  
enim sententiam: Sex millibus annorum durabit  
mundus, postea destruetur: Duo millia inane, duo  
millia lex, duo millia Messia: Etsi qui anni deerunt,  
propter peccata nostra deerunt. Ex huius  
modi dictis existimari potest, in illis sapientissimis  
sodalibus

sodalitijs fuisse disputationes de rebus maximis.  
 Ac cogitate quanta foelicitas fuerit, & si erant  
 Reges impij, & si erant omnia plena bellorum  
 ac seditionum, illi coetus Ecclesiam regebant,  
 nam ita alij alijs succedebant, quasi in acie, ut  
 aliquo excellenti Propheta extincto, Deus mox  
 alium, quasi in id uestigium collocaret. Cùm E-  
 lias docuisset annos circiter uiginti, successit Eli-  
 sus, qui annos circiter septuaginta gubernauit  
 Ecclesiam in Israël. Huic successit Ionas, quem ar-  
 bitrantur fuisse filium mulieris Sareptanae, ab E-  
 lia reuocatum ex morte. Deinde abductis decem  
 tribubus, successit Esaias in Iuda, qui docuit an-  
 nos circiter octoginta, et regnum liberauit ingen-  
 tibus bellis, nam quilibet Propheta habet aliquod  
 insigne πολίτευμα. Post Esaiam excitatus est Ie-  
 remias, qui annos circiter quadraginta conciona-  
 tus est. Fuitq; eius πολίτευμα in speciem triste, sed  
 omnium maximè salutare eo tempore: fuit enim  
 hortator faciendae deditiois, atq; ita seruauit re-  
 liquas gentis, cum alij antea depulsis hostibus pa-  
 triam seruaissent. Ideo cùm hic nouo exemplo de-  
 ditionem suaderet, quae uidebatur turpis & exi-  
 tiosa, ualde contemptus est à Pontificibus. Sed De-  
 us non humanis consilijs, sed suo gubernat ecclesi-  
 am, castigat, et castigatam mirãdis modis restituit.

Elias.  
 Eliseus.  
 Ionas.  
 Esaias.  
 Jeremias.

l iij Quid



UNIVERSITÄTS-  
 BIBLIOTHEK  
 PADERBORN



**Daniel in Ba-  
bylone.**

**Esdras,  
Nehemias.**

**Sirach.**

**Machabæi.**

Quid in exilio Babylonico? an tunc defuerit  
scholæ? Imò cum Iudaici Reges non aluissent Do-  
ctores, iam alunt Babylonicæ. Daniel cum collegis  
instituitur doctrina Caldæorum, sed uicissim,  
hunc postea Reges omnium maximi, tanquam dis-  
cipuli, audiunt, Nabugdonosor, Euilmerodach,  
Darius, Medus & Cyrus. Quem uirum ex omni-  
bus ætatibus nominare quisquam potest, qui tan-  
tos heroes discipulos habuerit? Post Danielem  
extiterunt Esdras & Nehemias, qui attigerunt  
Alexandri Macedonis ætatem. Post Alexandrum  
celebrat liber Sirach Simonem Oniæ filium, qui  
doctrinæ puritatem conseruauit. Deinde post  
ante Machabæorum tempora, cum Pontifices con-  
tarent inter se ambitione, emerent Pontificum  
& uicinis Regibus, doctrinam negligenter, col-  
lapsis scholis, magnum uulnus accepit religio: uol-  
uit tamen Deus superesse aliquas reliquias. Macha-  
bæi restituerunt doctrinam. Post hos creuit im-  
pudentia in populo Dei, repudiatis Prophetarum  
monumentis, cœperunt prophana ingenia ama-  
re græcam Philosophiam, hinc extiterunt sectæ  
diuersæ Phariseorum & Sadduceorum, qui per-  
uicacem Epicuræas opiniones professi sunt.  
Itaque cum diu horribiles essent tenebræ in po-  
pulo Dei, rursus excitauit Deus scholas per Iosue

nem Baptistam, deinde per Christum. Hos habuit <sup>Ioannes,</sup>  
 se scholasticos cœtus, historia Euangelij non ob- <sup>Christus,</sup>  
 scure testatur. Postea exempla Prophetarum, &  
 Ioannis ac Christi imitantur Apostoli. Nam hos <sup>Apostoli,</sup>  
 quoq; suas scholas habuisse apparet ex Irenæo,  
 qui ait Ioannem habuisse assiduos auditores mul-  
 tos, et in his Polycarpum. Hunc morem postea ser-  
 uauit et ipse Polycarpus Smyrnæ. Fuit autem fre- <sup>Polycarpus,</sup>  
 quentissimū Gymnasium Alexandria, ex quo mul- <sup>Alexandria,</sup>  
 ta lumina Ecclesiæ exorta sunt. Inde mittebantur  
 pastores ad ecclesias uicinarū regionum. Hæ scho-  
 le consulebantur de doctrina: Ibi enim extabant  
 testimonia dogmatū ab Apostolis accepta, ut cer-  
 to constaret, quæ fuisset Apostolica sententia. Co-  
 gitate autē quàm gratum pijs, quàm utile fuerit  
 ad confirmandas mentes, scire ueteres Aposto. sen-  
 tētiās, scire per quos authores propagata doctri-  
 na fuerit. Clemens ait se perusgatum esse totam <sup>Clemens,</sup>  
 Asiam, et de singulis doctrinæ articulis consuluis-  
 se eruditos ubiq;. Sed postquā uenit Alexādrīam,  
 fuisse se contentum iudicio Pantæni, quem ait eru- <sup>Pantænus,</sup>  
 ditione et pietate eximia præditum fuisse, ac orna-  
 tū testimonijs Spiritus S. seu miraculis. Vt igitur  
 hæ scholæ ab Apostolis inchoatæ conseruariētur,  
 Collegia in Ecclesijs Episcoporum instituta sunt,  
 & donata uictu. Sed postquàm opes creuerunt,  
 l iij in

in Collegijs doctrina extincta est. Quilic  
 nunc sunt illa agmina Canonorum, nisi folles  
 Apicij? Quarum rerum studia in illis locis vigi-  
 ant, non ignoratis, sed de his non dicam hoc tem-  
 pore. Ceterum hæc tam longa commemoratio de  
 Prophetis & Apostolicis Academijs quo per-  
 nuit? Illud ostendere uolebam, Deo placere con-  
 seruationem scholarum, nec posse florere Ecclē-  
 sias sine scholis, & quidem magna artium ac lit-  
 rarum uarietate opus est. Nam etiam illi ueteres  
 Prophetarum auditores, & si præcipue discer-  
 bant cœlestia oracula, tamen alias artes etiam  
 iungebant, discebant aliquid de naturarum,  
 querebant historias, alij Musicam, alij Medicinam  
 nam profitebantur. Ita nunc uidetis sine literis,  
 sine linguarum cognitione, sine Dialectica, sine  
 aliqua liberali eruditione, profecto neminem  
 idoneum esse ad explicandas controuersias re-  
 ligionis. Ergo in scholis multarum artium exer-  
 citia instituta sunt, quarum pleraque & si multiplex  
 cem in uita usum habent, tamen præcipue con-  
 cuncta ad Ecclesiasticam doctrinam illustrandam.

Principum cu-  
 ra de scholis.

Hæc cum ita sint, cum schole necessarie sint  
 Ecclesijs, ardentissimis uotis optare omnes piji-  
 bent, ut Deus exuscitet Principum animos ad re-  
 situendas & ornandas Academias, ad excitandas  
 & pres-

& prouehenda literarum, ac bonarum disciplina-  
 rum studia. Cumq; ea in re optimam uoluntatem  
 Princeps Marchio ostenderit, gratulari hanc fœ-  
 licitatem Reipub. debemus, ac precari Deum, ut  
 auspicijs honestissima atq; utilissima rei faueat.  
 Profectò melius de suis populis, & de tota poste-  
 ritate hac in re meretur, quàm si nouas auri, aut  
 argenti uenas tam largas, quàm fuerunt uenæ Ly-  
 dia, quæ Cræsi opes tantopere auexerant, reperi-  
 ret. Hoc munus præcipuè flagitat Deus à Prin-  
 cipibus. Ideo enim Deus ad societatem condidit  
 homines, ut alij alios de religione doceant, ut qui-  
 dam uenustissimè scripsit:

Vtq; alios alij de religione docerent,

Contiguas pietas iussit habere domos.

Cum autem Principes sint custodes humanae so-  
 cietatis, certè hoc efficere debent, quantum ipsi  
 possunt, ut Deus rectè celebretur. Armentarijs  
 satis est, pecudibus pabulum curare. Hi qui homi-  
 num coetus regunt, non tantum custodes sunt ui-  
 ta corporum, sed legis ac disciplinae: Ideo Deus  
 impertit societatem sui nominis, ut Dei dona, id  
 est, religionem, iusticiam, disciplinam, pacem in-  
 ter homines tanquam uicarij Dei tueantur.

Oro igitur Dominum nostrum Iesum Christum  
 filium Dei, ut gubernet & augeat hanc scholam,

l v &

et studia harum gentium exuscitet, ad salutem  
 ecclesie, quam Filius Dei sic amat, ut ea sanguine  
 suo redemerit. Vos etiam qui hanc urbem, et hanc  
 Academiam regitis, obtestor, ut cum operam scho-  
 lasticam Ecclesie necessariam esse intelligatis, meo  
 spitem, et uersantem in difficili munere, uestra  
 neuolentia confirmetis. Sumus nos quidem longe  
 inferiores illis summis uiris, de quibus antea dixi,  
 qui olim ecclesie studia rexerunt, Elia, Eliphaz,  
 Esaias, Ieremia, Daniele, Esdra, sed in munere  
 profusus eodem uersamur. Nec raro ego ipse toto  
 corpore perhorresco, cogitans magnitudinem  
 uisus, quod sustinemus, et intus animo illos ueterum  
 Duces nostros, quos longo interuallo sequimur,  
 ertes, et ignaui, atque hanc dissimilitudinem cum re-  
 pto, non solum docentium imbecillitatem, sed ecclesi-  
 am deploro, quae quasi senectae imbecillitate, et  
 omnia membra habet languidiora, et tamen post  
 mis temporibus plurimum periculi habitura esse,  
 Christus praedixit. Nam quo propius in saecula  
 extremi iudicij, eo Diabolus furiosius irascitur  
 Christo, iam scilicet formidans sententiam, in qua  
 omnibus creaturis patefiet turpitudine immersa  
 perbissimi spiritus, et cruciatus ipsius horrenti  
 augebuntur. Itaque odio Christi incitat Turci,  
 Pontifices, impios Reges, denique omnia sua orga-

Quis scholasti-  
 cum.

Finis mundi.

na aduersus Ecclesiam, Eò magis uigilandum & pugnandum est nobis, ut furor Diaboli impediatur: Reges turpissimè sinunt grassari Turcas, Episcopi negligunt Ecclesias.

Quare pios Principes & ceteros, qui præsunt, amitti decet, ut quantum suo quisq; loco potest, sciant illorum negligentiam, bonos doctores querant, constituent Ecclesias, curent ad posteros propagari Euangelium. Auditores etiam propter Christum Dominum, ac officij dignitatem, ad maner tractent fidos Euangelij interpretes, inter quos me quoq; uobis commendo. Nam & fidem ac diligentiam prestabo, & genus doctrinae pium profiteor. Amplector enim uerè & ex animo consensum Catholicae Ecclesiae Christi, hoc est, doctrinam Christi, & Apostolorum, & explicationem traditam in Symbolis, Apostolico, Niceno, & Athanasiano. Et cū inciderint discordiae, fateor me sentire cum ecclesijs, quarum extat confessio Augustina, & has iudico tueri perpetuum consensum ueræ Ecclesiae omnium temporum, Prophetarum, & Apostolorum. in his iudico multos Articulos doctrinae Christianae rectè et piè renouatos & illustratos esse. Cum his iudico etiam uerè congruere scriptores puriores dextrè intellectos Ambrosium, Augustinum, Hilarium, Basilium, Episcopus

Genus doctrinae quod profertur.

Discordie di-  
uinitus excita-  
ta.

Epiphaniū, Nazianzenum. Et quanquam lo-  
sum est nomen discordie, tamen sentio hæc mi-  
mina, quæ de doctrina mota sunt, necessaria & di-  
uinitus excitata esse. Quia Daniel et Paulus ad-  
cinātur postremis temporibus hos futuros esse co-  
gones piorum aduersus impios Pōtiffes in eccle-  
sia, defendentes manifestā εἰδωλομανίαν, & con-  
centes Neronianam scuitiam in membra Christi.  
Ac præmonuit nos Spiritus sanctus, ut cum in-  
derint certamina, cogitemus ubi sit uera ecclesia,  
non terreamur titulis sceleratorum Pontiffum,  
nec simus socij & adminiftri impie Tyrannide.  
Nō igitur nouum doctrine genus cōminifcar,  
na est perpetua Ecclesia, in qua filius Dei per pa-  
tres, Prophetas, et Apostolos, uerā Dei noticiam  
tradidit, & taxat persuasiones contumeliosas ad-  
uersus Deum, quas spargit Diabolus odio Dei.  
Ad illā ueram Christi ecclesiam, nunc quoq; deli-  
gerantem cum Diabolo, & dissentientem a Pōti-  
ficibus, qui idolomaniam defendunt, et trucidant  
mēbra Christi, ut omnes pij adiungere se debent,  
ita me quoq; tota mente et toto pectore adiungo,  
ac precor ex animo Filium Dei, Dominum nos-  
trum Iesum Christum, ut ministerium meum go-  
bernet, ac per me sit efficax, ut adfuit Patribus  
Prophetis, & Apostolis: Ipſius enim latus mēbra  
ris,

ne, ipsi triumphus debetur, qui uincit Diabolū: nostra infirmitas non est par tantæ dimicationi, sed ipse uult pijs adesse, et conculcare caput serpentis, hoc est, ut Iohannes interpretatur, destruere opera Diaboli.

Ecebolus Rhetor Apofitata.

Fuit Ecebolus quidā Rhetor tempore Constantij, is ut gratiā aucuparetur Principis, baptizatus est, et ut fuit in dicendo uehemens, acriter solitus est taxare idolomaniam. Postea sub Iuliano, cum uideret hunc abhorreere à Christi nomine, et restituere Idola, defecit et ipse à Christianis, et in gratiam Imperatoris rabiosè maledixit. Ita animi sententiā de religione inflexit ad Principum uoluntates. Nō fuit autem diuturna Tyrannis Iuliani, sed statim successit Iouianus bonus et pius Princeps, ubi cum uideret multo maiore in odio esse illos, qui ut assentarentur Iuliano, defecerāt à Christo, quàm ceteros Ethnicos, rursus ipse sese retexit, redit ad Christianos, abijcit se ad templi fores, iubet se pedibus conculcari, ut sunt Hypocrite tanquā histriones ad has præstigas idonei. Nec nulli sūt hoc tēpore tales Ecebolus, qui alia alijs tēporibus, et apud alios probāt.

Hypocrite hæreticones.

Ego igitur simpliciter professus sum quid sentiat, et opto ut in hac me sententia confirmet Deus, et ut Filius Dei gubernet meum ministerium.  
Certè



Certe illud Ecceboli nunquam facturus sum, ut  
stringam stylum aduersum ueram Ecclesiam, ut  
deformabo eam calumnijs: Sed ingenium meum  
seruiet glorie Dei et Domini nostri Iesu Christi.

Dixi.

ORATIO CASPARIS CRVICI  
geri, De ordine discendi, habita in promo-  
tione Magistrorum, Anno

1 5 3 1.



Um ex hoc loco sepe dictum fuit  
uniuersa Philosophia, deq; hanc  
artium omnium dignitate, quae  
scholis ideo traduntur, quia ab  
ne beateq; uiuendum iudicantur esse necessariae.  
Ego pro ingenij mei mediocritate, omnis illi  
preconijs superiorum disciplinarum, quas arti-  
tror propter manifestam utilitatem comendatissimas  
mas esse omnibus, pauca quaedam dicere iustis  
de hoc genere disciplinarum, quod nos propo-  
mur, et quo prima aetas ad percipiendas maiores  
artes preparatur. Quaequam enim et hanc  
tilitates quotidie uobis in scholis decantant pro-  
ceptores, tamen hic aliquid de ea re dicendum  
est, ut publico mori seruiamus.